Quelle: https://manuscripta.at/?ID=29365
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

sequens consonat huic dicto
Altitudine sex cubitorum
et palmo cubitus secundum vnam
opinionem continet duos pedes
vsuales secundum vero aliquos pedem
et dimidium Et sic secundum vltimam
opinionem patet altitu-
do ipsius Et cassis erea su-
per caput eius Hic dicunt
aliqui quod nomine eris intel-
ligitur omne genus metalli
et sic hic loco de ferreo acci-
pitur es, ita quod cassis erea
idem est quod cassis ferrea quia
non solet fieri de ere sed de fer-
ro Et lorica hamata indu-
ebatur idest concathenata
quia fit de anulis ad modum
cathene connexis hebrei autem
dicunt hic et lorica stamata
induebatur quia super lori-
cam habebat armaturam
factam de laminis ferre-
is per modum stamorum
ordinatis sic est genus ar-
mature quod vocatur plates
gall. et hoc erat ne per fora-
mina lorice sagitta vel spi-
culum aut gladius posset
transire et ocreas ereas
habebat in cruribus In hebreo
habetur et rasaria vel fron-
talia versus pedes eius quia
a galea que erat super ver-
ticem descendebat quedam
lamina operiens et tendens ver-
sus dorsum ad collum sicut sole-
bat fieri in antiquis galeis
Et clipeus ereus tegebat hu-
meros eius hebrei dicunt
et spiculum ereum inter sca-
pulas eius et hoc dicitur spi-
culum secundum eos quedam lamina

descendens a cassside protectus
in acutum inter scapulas ut
sic protegeret collum et iunc-
turam armorum capitis et
corporis Et armiger eius
antecedebat In hebreo habetur
et peltam suam vel scutum
ante eum sicut fieri solet prin-
cipibus quando vadunt ad
congrediendum, sed qui de-
bent actu congredi tunc tra-
ditur eis scutum ex hoc ergo
iam patet quod predictum est
secundum quod illud dependebat
a galea inter humeros
non erat proprie clipeus Stabat
ponitur ipsius goliath glo-
riatio cum dicitur stansque
ut magis videtur clama-
bat ut alonge audiretur
adversus phalangas id est ag-
mina armatorum quare ve-
nistis parati ad prelium scilicet
in tanto numero quasi dicat
cito possetis finiri negotium
per singulare certamen
inter me et unum de vestris
a vobis electum Et sequitur
et increpabat philisteos se iac-
tando et exercitum israhel
exprobrando Ideo subditur
Ego exprobravi etc. Audiens
autem saul et omnes israhelite
sermones philistei huiusce-
modi stupebant propter al-
titudinem stature ipsius
et robur armature et time-
bant nimis, quia nullus
audebat hic duellum recipere
David autem hic consequenter
describitur ipsius dauid
aduentus missi a patre ad deum